



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. IV. An actus fidei sit in se, & in substantia supernaturalis: & tractatur
prima sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

CAPVT IV.

An actus fidei sit in se, & in substantia supernaturalis, & tractatur prima sententia.

1.
Præsentis
questionis
introducitur.

Non possumus conuenienter exponere, qualis sit gratia ad actum fidei necessaria, seu qualis, & quâta sit hæc necessitas, nisi prius qualis sit supernaturalitas actus fidei declarem. Et ideo ab hac questione initium sumimus. Quæ quidem versari potest de omnibus actibus in se supernaturalibus, quales sunt actus omnium infusarum virtutum, vnde posset merito questio in genere disputari, habet tamen in singulis generibus, seu speciebus peculiarem difficultatem, & ideo commodius visum est, speciatim in singulis, prout materia postulauerit, illâ tractare. Quia vero fides prima est harum virtutum, circa illa attingimus ea, quæ omnibus generalia sunt, & quæ propria fidei esse videbuntur; de cæteris autem breuius, quæ ad singulas peculiariter pertinerint, expediemus.

2.
Prima, & vulgaris acceptio actus quoad substantiam, & quoad modum.

Prius autem ne de nominibus sit controuersia (vt in hoc puncto specialiter esse solet) explicare oportet, quid per substantiam, quid vero per modum actus intelligamus, & consequenter quid sit, actus in substantia, vel tantum in modo distingui. Potest enim per substantiam actus, vel generalis aliqua ratio in tali actu inuenta, vel tota species, ac entitas actus significari. Priori modo dicere possumus, substantiam charitatis esse, quod sit amor; posteriori autem modo dicemus substantiam charitatis non in amore tantum, sed in tali specifico, ac perfecto amore positam esse. Atque eadem proportionem modus actus dici potest, vel modus essentialis, quia per differentiam specificam genus contrahit, & quasi modificatur, vel modus accidentalis, quia additur entitati actus in sua specie iam plene constituti. Si ergo substantia actus pro genere sumatur, clarum est, actus supernaturales non esse in substantia supernaturales, sed ea potius cum actibus naturalibus conuenire, nimirum in genere cognitionis, vel assensus, vel amoris, vel spei, vel in alia simili. Etenim si hanc conuenientiam non haberent, non possent esse actus elicti à nostris potentijs, quia potentia non possunt eleuari extra sua obiecta saltem vniuersalissima, & consequenter neque ad actus, qui his generibus non contineantur. Vt recte notauit Caiet. 2. 2. q. 171. art. 2. circa ad 3. Si autem sumpta substantia actus, dicuntur hi actus supernaturales quoad modum, quatenus differentia specifica dicitur modificare genus. Accipi autem vulgo solere actum quoad substantiam, pro actu considerato secundum rationem generalem assensus, vel amoris circa tale obiectum, notat Molina in Concordia q. 14. art. 13. disp. 15. §. Tertium.

3.
Acceptio altera & huius loci propria actus quoad substantiam.

Hic autem non in hoc sensu loquimur, sed illos actus quoad substantiam supernaturales vocamus, in quibus genus cognitionis, vel amoris contrahitur essentialiter per differentiam superioris ordinis, id est, quæ ad quandam rerum gradum, ordinem naturalem superantem pertinet, ideoque ad illum eleuati ipsos actus. Vnde fit, vt nec à nostris potentijs, nec ab Angelicis, nec fortasse ab illo intellectu creabili, per vires naturales elici possint. Tunc autem talis actus totus est supernaturalis quoad substantiam, id est, quoad suam entitatem, quia (vt dixit) differentia specifica eleuat genus cognitionis, vel amoris ad supernaturalem ordinem, & ita tota entitas est supernaturalis, quia in re non est distinctio actualis inter genus, & differentiam, & indiuisibilis entitas non potest esse in diuersis ordinibus, naturali, & supernaturali. Quo fit, vt genus cognitionis, vel amoris de se nec naturale sit, nec supernaturale, sed abstrahens, quia contrahi

potest per differentias vtriusque ordinis, sicut substantia abstrahit à spirituali, & materiali.

Et hinc facile declaratur, quid sit, actum esse naturalem quoad substantiam, & supernaturalem quoad modum. Dicitur enim actus naturalis, non prout naturale distinguitur à libero, nam actus etiam ordinis naturalis liberi esse possunt, imo tales esse debent, vt sint morales, sed naturale hic à supernaturali distinguitur. Vnde tunc actus est in substantia naturalis, quando constituitur essentialiter per speciem differentiam ordinis naturalis: nam inde fit, vt actus in tota sua physica entitate, & in re ipsa naturalis sit, & consequenter sit aptus elici à naturali potentia per vires naturales eius. Quoad modum vero esse potest supernaturalis, vel in fieri tantum, quia scilicet, fit modo præternaturali, seu ab alia causa, quam à naturali, seu non seruat ordinem naturalium causarum, sicut est oculus restitutus cæco miraculose, & homo resuscitatus. Vel potest esse effectus supernaturalis quoad modum in facto esse, & in termino, videlicet, quando naturali entitati actus additur modus, qui non possit, nisi supernaturaliter fieri, tunc enim actus tali modo affectus, dicitur in se supernaturalis quoad modum, seu in facto esse. Hic autem modus tunc est proprius, & realis, quando est intrinsecus actui, & illi in re ipsa quasi adherens accidentaliter, vt est, verbi gratia, intentio actus, vel si qua alia similis proprietas in his actibus inueniri potest. Præter hunc autem intrinsecum modum, excogitatum est aliud genus modi extrinseci, seu moraliter tantum conuenientis actui quali per extrinsecam denominationem, vt est honestas aliqua, vel supernaturalitas per relationem ad finem extrinsecum, vel ratio meriti proueniens tantum ex extrinseca Dei acceptatione, vel ordinatione: nam si proueniat ex interna dignitate actus, iam illa erit, vel substantia, vel realis proprietas, & intrinseca ipsi actui.

His ergo positis, fuit olim sententia ab Scholasticis Theologis valde recepta actum fidei Christianæ esse in substantia sua naturalem, ita vt si entitas actus præscindatur ab omni alio modo, possit ab intellectu produci suis viribus naturalibus, & similiter voluntas credendi possit à sola voluntate pro sua libertate fieri, præmissa tantum sufficienti propositione obiecti, absque alia illuminatione, inspiratione, aut excitatione gratiæ, præter eam, quæ ex tali propositione externa obiecti naturaliter potest in interioribus potentijs resultare. Solet hæc sententia Scoti tribui, ex alio vniuersali principio, nimirum, quia creditur, in prima quæst. Prologi dixisse, nullam esse formam in se supernaturalem secundum entitatem suam. Itailum intellexit Caiet. 1. p. q. 1. art. 1. & to. 1. Opuscul. tractat. 3. de Potentia neutra. q. 2. quem aliqui Moderni sequuntur. Ex quo vniuersali principio optime sequitur, fidei actum, cum sit forma quædam creata, non esse in se, & in substantia supernaturalem.

Veruntamen nec Scotus illud principium vniuersale posuit, nec potest cum doctrina eius in alijs locis subsistere. Primum patet, quia in illa qu. 1. in §. Antequam, verbi gratia, ad propositum, solum dicit actum, seu formam dupliciter posse dici supernaturalem, scilicet, Scotus recipiens, & priori respectu fatetur posse esse supernaturalem, quia potest præter cursum naturalium causarum fieri, ac subinde supernaturali modo. Respectu vero recipiens dicit, omnem formam posse dici naturalem, si naturalem potentiam respiciat, quia, & potentia naturaliter inclinatur ad quamcunque perfectiorem suam, & forma naturaliter perficit ipsam. Et ita eodem sensu dicit ibidem in particulari de actu cognoscendo, comparando intellectum possibilem ad notitiam actualem, nullam esse cognitionem supernaturalem intellectu respectu illi, quia omni cognitione periturus, & ad omnem inclinatur, ac promouet solum esse posse cognitionem supernaturalem respectu

respectu agēti. Vnde cum fides sit cognitio quædam, idem necesse est, de illa sentisse. At vero ex his non sufficienter colligitur, ex sententia Scoti, nullum actum intellectus esse in se supernaturalem, aliqui etiam visio beatifica non esset supernaturalis forma intellectus, quod non solum est in se omnino falsum, sed etiam contra doctrinam eiusdem Scoti in 4. d. 49. q. 11. Deinde etiam habitus fidei infusus non esset in se, & in substantia sua supernaturalis, contra doctrinam eiusdem Scoti in 3. d. 23. q. vnic. §. *Ad questionem*, & d. 27. q. vnic. §. *Detertio dico*, ubi etiam refert, quæ dixerat in 1. d. 17. qu. 2. §. *Ad solutionem*, ubi docet dari habitum supernaturalem, per quem homo iustus formaliter acceptatur à Deo. Idemque dixit de gratia sanctificante, generatim loquendo, esse scilicet formam supernaturalem, & per se infusam. in 2. d. 28. q. vnic. §. *Ad questionem*.

7. *Ent. cap. 10.* Præterea Scotus non negat actum amandi, vel cognoscendi, prout oportet ad salutem, esse in se supernaturalem, saltem quoad aliquem modum factum in ipso actu, qui non posset fieri per vires naturæ. Nam in loco citato in 1. d. 17. quæst. 2. §. *Ad solutionem*, in fine dicit, habitum infusum non solum dari ad animæ ornatum, & pulchritudinem, sed etiam ad efficiendum actum intentionem, quam posset viribus naturæ fieri, & nihilominus de actu sic in se comparato ad potentiam recipientem dicit Scotus (iuxta priorem doctrinam in Prologo datam) esse naturalem, quantum ad naturalem inclinationem potentie ad ipsum, & quantum ad informationem, & perfectionem potentie. Igitur ex illa distinctione non potest colligi, negasse Scotum omnem formam, vel actum in entitate, aut intrinseco modo supernaturalem. Quantum ergo ex collatione omnium locorum conijcere possum, Scotus non negat, dari posse entitatem, aut formam supernaturalem, id est, quæ per causas creatas naturalibus viribus earum fieri non possit, neque sit connaturalis alicui substantiæ creatæ, vel naturali potentie eius, sed data tali forma, nihilominus de illa docet, potentiam, in qua recipitur, ad illam naturaliter inclinari, & talem actum naturaliter perficere potentiam, & secundum hunc duplicem respectum quæcumque formam posse dici naturalem, etiam in se supernaturalem sit. Et hac ratione in 3. distinct. 17. quæst. 1. §. *Contra primam viam*, negat distinctionem, duplicis beatitudinis naturalis, & supernaturalis, quia idem finis, qui est supernaturalis quoad consecutionem est naturalis quoad inclinationem humanæ naturæ in ipsum, iuxta doctrinam suam de appetitu naturali ad videndum Deum, quam tradit in quæstione prima Prolog. §. *Ad primum*, & §. *Ad questionem*, & in quarta distinctione 59. quæst. 9. & 10.

8. *Quædam apud Scotum minus vera sunt argumenta, quæ se entitatis supernaturalis.* Quamvis autem illa disputatio de primo illo respectu naturalis inclinationis ad formas supernaturales, non sit huius loci, credimus tamen salum esse, intellectum naturaliter inclinari ad visionem beatitæ, vel animam naturaliter inclinari ad gratiam, vel alios habitus supernaturales, quod supra libro primo retigimus, in materia vero de beatitudine latius probandum est. De alio vero respectu naturaliter perficiendi potentiam dicendum est, si illud naturaliter, referatur ad ipsam formam, verum esse, quia gratia, & omnis forma connaturaliter inclinatur ad subiectum, cuius est proprius actus, & connaturale illi est, perficere potentiam, in qua recipitur. Neque hoc repugnat supernaturalitati forme: nam licet ipsa forma in se sit supernaturalis, nihilominus habet propriam essentiam, quæ est natura eius, & secundum eam potest habere proprietates sibi connaturales, quarum una est, informare, & naturaliter perficere subiectum. Si vero illud naturaliter, referatur ad potentiam recipientem, sic falsum est naturaliter perfici per talem formam, perficitur enim supernaturaliter, quia illa perfectio non est ibi connaturalis, nec

Pars I.

naturalis debita, neque ad illam habent potentiam naturalem, sed obedientialem, ut recte Caietanus dixit. Neque Scotus potest eam negare, cum potentia neutra, quam ipse ponit, suo modo, & servata proportionem, obedientialis dici possit. Quidquid vero sit de modo loquendi quoad potentiam receptivam, satis in præsentem est, quod actus sit super vires naturales potentie actiue, ut supernaturalis dicatur, quia hic tractamus de viribus gratiæ necessariis ad operandum. Hoc ergo modo non negat Scotus formam, seu gratiam in se supernaturalem. Aliter tamen videtur loqui de habitibus gratiæ, aliter de actibus secundis: nam de habitibus sentit esse simpliciter in sua entitate, & specie supernaturales, de actibus vero non ita sentit, sed solum quoad intentionem esse supernaturales, ut ex citatis locis constat.

Eandem sententiam eodem modo tenent Gabriel in 3. distinct. 23. quæst. 2. articulo 1. in fine, & articulo 2. conclus. 2. ubi ait, fidem infusam non esse necessariam propter substantiam actus fidei, sed propter solam intentionem: firmitatem autem, seu certitudinem etiam vult esse naturalem, ac per se dependentem à fide acquisita, tanquam à causa partiali. Refertque in eandem sententiam Ochamum quodlibet. tertio, quæstione 7. & idem de intentione tenet Paludanus in 3. distinct. 23. quæstione 3. in fine, & idem Almain. quæstione 3. Durandus etiam ibi quæstione 6. num. octavo, licet dicat, habitum fidei esse infusum, statim addit, illum infundi, non quia sine illo non possumus credere verum supernaturale, sed quia non ita prompte & faciliter, ut determinatum est (inquit) in 2. videlicet distinctione 18. quæstione 1. ubi num. 7. addit, fidei habitum conferre ad firmiter, & discrete assentiendum, in quæst. 2. addit modum meriti, & similia habet in 1. distinct. 17. quæstione 2. ad secundum. Semper tamen sentit, substantiam actus fidei posse fieri per naturalem facultatem intellectus. Expressius vero in 3. d. 31. qu. 4. nu. 11. dicit, visionem Dei esse supernaturalem essentialiter, & ideo non convenire in genere proximo cum aliquo actu viæ, etiam fidei. In quo aperte docet, nullum actum viæ esse supernaturalem essentialiter, quod nos vocamus supernaturalem quoad substantiam, seu in specie sua, & ita concludit, fidem secundum essentiam posse fieri per vires naturales. Solet etiam allegari Maior in 2. d. 1. q. 5. Sed ibi nihil inuenio, tamen in 3. dist. 26. art. 42. alias, 3. id plane significat, dum ait, eundem actum fidei posse successivè esse verum, & falsum, & quando est verus, esse fidei infusæ, & postea esse tantum fidei acquisitæ. Et simili proportionem opinatur de actu charitatis quoad bonitatem, vel malitiam. Sed de hoc postea. Nam etiam hic possunt allegari omnes, qui tenent actum charitatis esse naturalem quoad substantiam, quoniam à fortiori debent idem opinari de fide, quia minus perfecta est, quam charitas, sed illos postea suo loco referemus.

Similiter eandem sententiam sequuti sunt plures ex antiquioribus Thomistis, nam præter Paludanum, quem iam retuli, Capreol. in 1. d. 17. q. 1. art. 3. ad argumenta Aureoli contra primam concl. circa finem, & ad argumenta Gregorij contra secundam concl. generaliter sentit, habitus infusos non requiri propter substantiam actuum, sed propter modum, quem appellat promptitudinem, delectabilitatem, & acceptabilitatem. Expressius hoc docuit Caiet. 2. 2. q. 171. art. 2. circa ad 3. ubi sentit, actum fidei sine gratia non fieri laudabiliter, vnde solum propter hunc modum videtur ponere necessitatem auxilij gratiæ, ad credendum. Item 1. 2. q. 109. art. 4. sentit omnes actus virtutum infusorum esse naturales quoad substantiam, & de contritione in tom. 1. Opusculorum tractat. 4. q. 1. Eandem sententiam sæpius docuit Soto lib. 1. de Natur. & gratia cap. 22. & lib. 2. capit. 14. in fine, & cap. 16. ad 1. & 2. & in 4. dist. 17. q. 1. art. Soletque attribui hæc S. Thomæ 2. 2. q. 171. articulo secundo, ad tertium. Sed

li 2 ibi non

10. Idem docet.

ibi non loquitur in hoc sensu, ut infra videbimus. Dicit ergo auctores conueniunt in hoc, quod actus fidei in substantia sua est naturalis, & ideo si præcise fiat in sua entitate, & esse specifico, possit fieri per solas vires naturales. Sic autem factum aiunt non sufficere ad iustitiam, ut sit fundamentum eius, sed debere perfici aliquo modo supernaturali. In explicando autem illo modo non conueniunt dicti auctores, Scotus enim requirit modum maioris intentionis. Alij augmentum certitudinis. Caietanus laudabilem, seu aliquam specialem honestatem. Alij requirunt acceptabilitatem, vel acceptationem, ut in dicto Opusculo indicat Caietanus, ubi etiam solum requirere videtur modum supernaturalē quoad fieri, i. quod actus fiat ex auxilio speciali, etiam si in se melior non fiat.

11. *Argumentū
3. quod sub-
stantia actus
fidei sit na-
turalis.*

*Enasio im-
pugnatur.*

Omissa vero hac varietate circa modum supernaturalitatis (quæ vix potest habere aliquid fundamētum, ut paulo post dicam) generalis assertio de substantia huius actus fundari potest primo in hoc, quod actus fidei non fit à sola gratia, sed fit ab intellectu proprie, & vitaliter; actus autem in substantia supernaturalis non potest hoc modo fieri à potentia naturali; ergo oportet dicere entitatem talis actus esse naturalem. Maior supponitur, non solum ut certa philosophice ex generali doctrina actuum vitalium, sed etiam ut certa Theologice, tum ex Concilio Tridentino sessione sexta dicente, hominem ad iudicium concurrere ad hoc actus, tum quia Scriptura diuina passim exigit à nobis fidem tanquam opus à nobis efficiendum. Minor vero probatur, quia naturalis potentia non potest efficere actum supernaturalem in substantia per virtutem connaturalem, quia non potest transcendere ordinem suum. Neque etiam potest id facere per virtutem superadditam, quia alias (ut obijcit Scotus) illa virtus non esset habitus, sed potentia, quia daret posse operari. Et ita actus non eliceretur proxime à potentia intellectiva, sed ab altera illa addita, ac subinde actus non esset vitalis, quia non esset proxime elicited à potentia vitali. Quod si quis dicat, ipsum intellectum eleuari, ut immediate influat in talem actum. Contra hoc est, quia hæc eleuatio ad summum potest sufficere ad instrumentalem effectiōem, quæ non sufficit ad actum vitalem, ut talis est, quia oportet, ut proxime procedat à principio intrinseco tanquam à propria, & principali virtute agendi. Atque hæc ratio videtur maxime mouisse Durandum in dicta distinct. 31. tertij, quæst. 4. nam cum de visione beata non fuerit ausus negare, esse supernaturalem quoad substantiam, consequenter de illa dicit, non fieri ab intellectu, sed à sola essentia diuina, obiectiue, inquit & effectiue.

12. *2. argu. à si-
militudine actus
volendi cre-
dere.*

Secundo videtur similis ratio magis vrgere in actu voluntatis credendi, vel quocumque alio formaliter libero, quod non habet actus intellectus, qui supposita voluntate necessario sequitur, & ideo in illo posset aliquo modo intelligi, quod intellectus eleuatus à Deo influat in actum supernaturalem quoad substantiam, quia in actu necessario potest intelligi motio Dei eleuantis intellectum ad operandum supernaturaliter per modum instrumenti. In actu vero libero videtur hoc repugnare, quia ad libertatem actus necesse est, ut ipsamet voluntas se determinet ad talem actum; huic autem determinationi repugnat præmotio principalis agentis eleuantis instrumentum, quia instrumentum sic eleuatum non à se, sed ab agente determinatur. Cum ergo voluntas credendi sit libera, ut supponimus, videtur impossibile, quod efficiatur à potentia voluntatis, tanquam ab instrumento eleuato per motionem gratiæ: ergo voluntas credendi non potest esse in substantia supernaturali.

13. *3. Argum.
quod non sunt
impossibiles
actus illi na-
turales in
substantia.*

Tertia ratio principalis est, quia non est impossibile, intellectum, vel voluntatem elicere circa talia obiecta actus quoad substantiam naturales, quibus

per diuinam gratiam addatur modus aliquis supernaturalis, sed hoc satis est, ut sint vera omnia, quæ de necessitate gratiæ actus Concilia docent, & est facilis ad intelligendum, & ad defendendum fidē contra omnes errores, & præsertim ad conciliandam gratiam cum libero arbitrio: ergo quamuis daremus esse possibiles supernaturales actus quoad substantiam, non est, cur asseramus illos esse necessarios ad salutem, vel propter illos esse necessariam gratiam. Maior quoad priorem partem probatur; quia obiectum fidei, siue ad intellectum, siue ad voluntatem comparatum, est nostris potentijs proportionatum, & sub generali propensione vtriusque potentiæ ad suum adæquatam obiectum comprehensum: ergo vtraque potentia potest circa illud actum naturalem quoad substantiam elicere. Antecedens patet, quia intellectus naturaliter fertur in omne credibile, & tanto magis propendet, quanto magis apparet credibile: obiectum autē fidei proponitur ut maxime credibile. Nec refert, quod proponatur ut credibile ex testimonio Dei, quia hoc non est vltra naturale obiectum, & inclinationē intellectus, nam ratio naturalis cognoscens Deum, etiam cognoscit, Deum esse fide dignissimum, si aliquid attestetur: ergo ex hac parte potius est maior naturalis inclinatio intellectus ad tale credibile. Aliunde vero cum in particulari proponitur obiectum credendum, ratio ipsa naturalis iudicat secundum prudentiam, esse valde credibile, dictum esse à Deo id, quod proponitur: ergo potest intellectus circa tale obiectum naturalem actum elicere quo credat, & hoc esse dictum à Deo, & ideo etiam credat esse verum, hic autem est actus fidei naturalis quoad substantiam.

Idemque argumentum magis vrget in voluntate, quia illud obiectum ut credibile, & credendum, proponitur tanquam quidpiam honestum, & ideo volendum, & amandum: voluntas autem naturaliter inclinatur in honestum, & in illud magis, quod ut honestius representatur. Acceditque, quod illamet honestas regulatur per rationem naturalem, nam proposito obiecto fidei antequam homo credat, habet dictamen rationis naturalis, honestum esse credere id, quod ostenditur a deo credibile, per quod iudicium voluntas illa regulatur, & excitatur: ergo potest esse voluntas illa naturalis quoad substantiam, & per vires solas naturales voluntatis elicita.

Quod vero illis actibus possit addi supernaturalis modus per gratiam, probatur ratione communi, quod multa sunt supernaturalia quoad modum, licet in substantia sint naturalia: nam humanitas Christi ens naturale est, & tamen ut vnitā Verbo est supernaturalis quoad modum, & ut existens sub speciebus Eucharistiæ est aliter supernaturalis quoad aliū modum, & accidentia Eucharistiæ naturalia sunt, habet tamen supernaturalem modum: cur ergo non idem faciet Deus per gratiam in actibus quoad substantiam naturalibus. Præsertim quia multi modi supernaturales præter substantiam eorum à Theologis in his actibus excogitati sunt, ut videbimus.

Denique quod hic modus sit facilior, & aptior ad concordiam gratiæ cum libertate, & cum propria efficientia nostrarum potenciarum, duæ priores rationes satis ostendunt: ita enim optime intelligitur, voluntatem, & intellectum cooperari partialiter, coefficiendo id, quod est naturale in his actibus, Deum autem per gratiam suam supernaturalem modum eis adiungere. Quod denique hoc sufficiat ad fidei doctrinam sustinendam, patet ex illo additamento, ad credendum, vel volendum sicut oportet, quod posuit Concilium Araucanum canone sexto, & Concilium Tridentinum sessione sexta, canone tertio. Nam per illud verbum nihil aliud significatur, nisi hos actus debere fieri certo quodam modo vtiant, sicut expedit ad salutem, ut etiam dixit idem Araucanum canone septimo. Quod vero ille

modus

modus substantialis, vel essentialis esse debeat, hoc non dixerunt Concilia; ergo cum accidentalis modus possit sufficere, non est, cur de substantiali interpretemur; & doctrinam fidei obscuriorem reddamus. Eo vel maxime, quod etiam docent Concilia esse necessariam gratiam, ad servandam totam legem naturæ sicut oportet, id est, sine peccato graui, & nihilominus ibi actus non sunt supernaturales quoad substantiam, sed quoad modum ratione talis gratiæ. Dicunt etiam, initium salutis non esse ex nobis, sed ex gratia, & tamen non oportet illud initium esse supernaturale quoad substantiam, sit enim, vt dicit Concilium Tridentinum, per Spiritus Sancti inspirationem, & illuminationem, quæ licet sint naturales quoad substantiam, possunt fieri ex gratia, quatenus præter cursum naturalem causarum possunt specialiter à Deo fieri, interius peculiari modo ordinante species intellectus, & affectum excitante: ergo idem dici potest de omnibus humanis actibus.

CAPVT V.

Actum fidei, & voluntatem credendi esse actus quoad substantiam supernaturales.

^{1.} *Assensio communis & vera.*
His non obstantibus, dico actum fidei Christianæ, quo intellectus debita certitudine credit, quod Deus revelauit, supernaturalem in substantia esse, id est, eoque alium similem in entitate specifica fieri non posse per solas vires naturales intellectus. Hæc sententia est communis in Schola Theologorum. Illam indicauit Conrad. 1. 2. q. 109. ar. 4. vbi etiam idem sentit Medina. Imo in quæst. 62. ar. 2. significat esse dogma fidei. Nam dicit, esse de fide, hunc actum, & alios duos Theologicos speciei, & charitatis differre in genere naturæ, & secundum substantiam à similibus actibus acquisitis, adhuc inquit sensum, quod non differunt tantum quoad modum. Quia de fide est, vt ait, auxilium gratiæ esse necessarium non tantum ad modum credendi, sed etiam ad credendum. Postea vero dicit, non esse hæreticum, dicere, hos actus fidei infusæ, & acquisitæ tantum differre in genere moris, ac proinde non differre in genere naturæ, nam hoc excludit illa particula, tantum. Et ita videtur hæc assertio repugnare priori. Nam esse moris tantum, est quidam modus accidentalis actui in esse naturæ, quia actus secundum suam entitatem naturalem potest manere sine tali esse morali; ergo si non est hæreticum dicere actum fidei infusæ, & acquisitæ solum differre in esse morali, profecto non est hæreticum dicere, tantum differre in modo: ergo non est de fide, qd differant in genere naturæ, & secundum substantiam, neque etiam est de fide, auxilium gratiæ requiri ad hos actus ratione tantum substantiæ eorum, & non tantum ratione modi: nam Concilia solum dicunt, requiri ad credendum, sicut oportet. Quo testimonio ipse probat, non esse contra fidem dicere, solum requiri auxilium propter esse morale, idem autem dici potest de quocunque esse modalis. Imo illud de esse morali, habet maius inconueniens in actu fidei, quia esse morale in tali actu non est nisi denominatio extrinseca ab actu voluntatis, & ita assensus intellectus, vt sic, posset fieri sine auxilio, dummodo ponatur auxilium necessarium in voluntate, vt bene moraliter velit talem actum, hoc autem dicere valde absurdum est, vt infra ostendam.

^{2.} *Quæstio alius huius inuestigata.*
Omissis ergo exaggerationibus, & censuris, melius dicit in conclu. 4. verisimilius esse, & diuine Theologiæ magis consentaneum, hos actus differre in esse naturæ, & secundum substantiam Idem sentit Bañez. 2. 2. q. 5. art. 2. & q. 6. art. 1. & q. 24. vbi refert Canum. Idem sentit Viguer. ibi in institu. capit. 10. §. 3. vers. 16. Aluar. disput. 67. ad 4. dicens contrariam sententiam non esse probabilem. Sed (vt dixi) facius est, ab his exaggerationibus abstinere. Eandem opinionem sequi-

tur Azor. 1. p. Institut. moral. libr. 3. cap. 24. q. 2. nam licet clarius de habitibus loquatur, idem tamen sentit de actibus. Eiusdem opinionis existimo fuisse Molinam, quamuis soleat in contrarium allegari, nam in Concordia quæstione decima quarta, articulo decimo tertio, disputatione decima quinta, §. Tertium. vbi loquens de his actibus, qui conferunt ad vitam æternam, vel iustitiam, tanquam dispositiones, vel merita, cum dixisset, Concilia, & Patres de illis docuisse non posse fieri sine auxilio gratiæ, subiungit, *Vtrum eiusmodi dispositiones formales habent supernaturales, vt re ipsa habent, an solum supernaturali ope essent elicite, in re vero essent res naturales, neque erat satis cognitum, neque forte in controuersiam vocatum.* Vbi aduerto particulam illam, *vt re ipsa habent*, nam per illam fatetur, hos actus in re ipsa habere rationes formales supernaturales, vtique essentielles, nam de alijs non poterat dubitare, cum omnis alia ad modum actus pertineat, & necesse sit, actum saltem quoad modum esse supernaturalem. Præterea paulo inferius in eodem §. dicit, actus, quibus heretici credunt aliquos articulos, solere vocari fidem quoad solam actus substantiam, vt secernatur ab actibus Christianæ fidei, vbi per substantiam actus clare intelligit solam communem rationem credendi tales res, actus vero ipsos semper indicat in sua entitate esse distinctos. Hoc vero euidentius declarat in disputat. 7. vbi tam in titulo quæstionis, quam in initio explicat, quid intelligat per actum fidei, quoad substantiam tantum productum, & non qualis ad iustificationem est necessarius. De quo actu naturali dicit infra §. Nostram, esse tantum opinionem, & fidem humanam, & specie distinctam à supernaturali, & Christiano assensu, qui per spiritum fidei infusæ elicitur.

^{3.} *Anceps Caietani in hac parte.*
Præterea Caietanus. 3. q. 76. art. 7. §. Ad euidentiam, in hanc sententiam inclinare videtur, dum dicit, naturale, & supernaturale esse differentias entis, & differentias modi faciendi, & in priori genere ponit charitatem, lumen gloriæ, & similia, quæ, inquit, differunt à virtutibus naturalibus, & alijs, quæ entia naturalia vocamus penes naturale, & supernaturale, quantum ad ipsa entia: sunt enim hæc ex suo genere supernaturalia entia, quia nulli entis possunt fieri commaturalia. Vbi aliqui putant Caietanum retractasse sententiam, quam de his actibus alijs in locis docuerat. Sed ego valde dubito, nam de charitate habituali, & virtutibus per se infusis, loquitur, de quibus ipse nunquam dubitauit esse entia supernaturalia, de actibus autem nullam mentionem facit, de quibus contrarium docuit, non obstante supernaturalitate habituum. Idem vero Caietanus. 2. 2. q. 17. art. 5. in principio reprobatur Scoti, & Durandi opinionem, dicentem, habitum infusum solum dari ad promptius, firmitus, seu perfectius operandum, ipse vero docet, habitus infusos dari, vt determinent potentiam ad actus supernaturaliter bonos, & obiecto supernaturali proportionatos. In quibus verbis videtur sentire, hos actus esse ex obiecto supernaturales, & consequenter in substantia sua, & essentiali specie, nam hæc est, quæ ab obiecto sumitur. Ipse vero non explicat hunc sensum, nec declarat, qualis sit illa bonitas supernaturalis, & post illa verba scripsit alia, quæ ex q. 171. retulimus, & ideo vercor, ne hoc etiam loco de aliqua bonitate accidentalī, & præter substantiam actus loquutus sit. Clarius ergo hanc docet sententiam Richard. in 3. dist. 23. art. 3. q. 1. vbi aperte ait, *alijs.* actus virtutum infusarum esse eiusdem ordinis cum illis, cum de habitibus tanquam clarum supponat, esse secundum se supernaturales ordinis, quod ibi specialiter docet de fide. Idem tenet Alenf. 3. p. quæst. 64. memb. 2. in corpore, & ad penult. vbi distinguit fidem acquisitam ab infusa tanquam à forma per se supernaturali, & loquitur tam de actu, quam de habitu, & similem doctrinam habet eadē 3. p. q. 27. memb. 4. art. 2. §. 2. quibus in locis ita exponit Damasc. lib. 4. de fide cap. 11.